



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ
propositiones, & alia

Genet, François

Parisiis, 1703

Instructio De Sacramento Pœnitentiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40817



I N S T R U C T I O

D E

S A C R A M E N T O

P O E N I T E N T I Æ.

Ex Rituali Romano.

SANCTUM Pœnitentiæ Sacramentum, ad eos, qui post Baptismum lapsi sunt, in gratiam Dei restituendos, à Christo Domino institutum; eò diligentius administrandum est, quò frequentior est ejus usus, & quo plura requiruntur ad illud rectè, dignèque tractandum, ac suscipiendum. Cùm autem ad illud constituendum tria concurrant, Materia, Forma, & Minister: illius quidem remota materia sunt peccata; proxima verò sunt actus pœnitentis; nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio. Forma autem illa absolutionis verba: *Ego te absolvo, &c.* Minister denique est Sacerdos, habens potestatem absolvendi, vel Ordinariam, vel delegatam. Sed si periculum mortis immineat, approbatusque desit Confessarius; quilibet Sacerdos potest à quibuscumque Censuris, & peccatis absolvere. In ejus Ministro requiritur etiam bonitas, scientia, atque prudentia, cum sigillo secretæ Confessionis, sub exacto, perpetuoque silentio. Quibus, & aliis ad id opportunis, ut optimè sint instructi, omni studio curare debent Confessarii.

De Sacramento Pœnitentiæ. 285

In primis meminerit Confessarius, se iudicis, pariter, & medici personam sustinere, ac Divinæ justitiæ simul, & misericordiæ Ministrum à Deo constitutum esse; ut tanquam arbiter inter Deum, & homines, honori Divino, & animarum saluti consulat.

Ut ergo rectè judicare queat, discernens inter lepram, & lepram, & tanquam peritus medicus animarum morbos prudenter curare, & apta cuique remedia applicare sciat; quantum potest maximam ad id scientiam, atque prudentiam tum assiduis ad Deum precibus, tum ex probatis auctoribus, præsertim è Catechismo Romano, & prudenti consilio peritorum, studeat sibi comparare.

¶ Sciat Casus, & censuras Sedi Apostolicæ, & Ordinario suo reservatos, & suæ cuiusque Ecclesiæ constitutiones; easque diligenter observet.

Denique hujus Sacramenti doctrinam omnem rectè nosse studebit, & alia ad ejus rectam administrationem necessaria. Atque in hoc Ministerio ita procedat, ut infra præscribitur.

